



[Faint, illegible handwriting on aged paper]

1.
2.
3.
4.
5.
6.



1666.


1. Striarius, Johannes Jacobus: Disputatio juridica, continens veterum juris interpretum distinctiones, quae magistrales appellantur, approbatas.
2. Striarius, Johannes Jacobus: Disputatio juridica, continens distinctiones veterum juris interpretum, quae magistrales vulgo appellantur, improbatas.
3. Beckmann, Joh. Valth.: De illustrationibus imperii Germanici dicasteriis, camerali, studio, Ratislensi.
4. Beckmann, Joh. Valth.: De usu domini eminentis in imperio nostro.
5. Beckmann, Joh. Valth.: Diveritas iudicialis, continens prerogationes juris Personae de personis et personam.
6. Beckmann, Joh. Valth.: An et quatenus principes, comites, barones et alii S. Rom. imperii status in domibus suis & statuta condere possint.?

1666.

7. Beckmannus, Joh. Volk: De compaternitate suo illustri-
simam famularum in civitate Germanorum. 18
- 8^{1st} Beierus, Adrianus: De bonis damnatorum
2 Succpt. 1666. & 1679 19
20
9. Beierus, Adrianus: De terminis motis.
10. Beierus, Adrianus: De injuriis visivine inju- 21
riosum.
11. Beierus, Adrianus: De culpa imputativa 22
12. Beierus, Adrianus: De satisfactionibus. 23
13. Cortezius, Adamus: De deposito.
- 14^{1st} Cortezius, Adamus: De actionibus personalibus 24
in rem scriptis
15. Falckner, Johann Christophorus: De jure hospitio. 25
rum.
16. Falckner, Johann Christophorus: De salubri conducta
ad judicium.

1666.

17. Falcken, Johann Christophorus: De factis poma.
18^a Falcken, Johann Christophorus: Ina particularia
de tutela et consuetudinibus. 2 Saup.
19. Krauß, Petrus Pomeranus: De feriis
20^a Krauß, Petrus Pomeranus: De iustis ac priori
legis personarum miserabilium. 2 Saup. 1666 et 1769.
21. Richter, Christophorus Philippus: De iure et facto
22^a Richter, Christophorus Philippus: Interpretatio
legis 32 § 2. v. ll. 2 Saup.
23 Richter, Christophorus Philippus: De successione
ab intestato.
24. Richter, Christophorus Philippus: De dignitate
mae domus Austriacae iustis ac praesentibus.
25^a Richter, Christophorus Philippus: De concurren-
tibus actionibus



1666, 2 4
2

12

Q. D. F. F. Q. E. I.

DISPUTATIO JURIDICA,

Exhibens

DISTINCTIONES

VETERUM JURIS INTERPRETUM,

QVAS MAGISTRALES VULGO

APPELLANT, IMPROBATAS,

Quam,

Ex Auctoritate Nobiliss. J.ctorum Ordinis,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS JACOBI AVIANI,

J. U. D. Serenissimi atque Celsissimi Princi-

pis ac Dn. Dn. ERNESTI, Ducis Saxoniae &c. &c. &c.

Consiliarii Aulici Splendidissimi, & hactenus in ce-
leberrimâ hâc Salanâ Professoris Publici,

*Domini Praeceptoris atq; Patroni summo honoris cultu
prosequendi, devenerandi,*

Publicæ eruditorum disquisitioni & censuræ
proponit

GASPER HENRICH Willmanns/


Bielefeld, A. & R.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Februar. ANNO M. DC. LXVI.

JENÆ, Typis GEORGII SENGENVVALDI.

NO: 9.



4

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, ATQVE EXCEL-
LENTISSIMIS

DN. HENRICO Meinders / J. U. D.
EQUITUM PER COMITATUM
RAVENSBURGENSEM SYNDICO
SPECTATISSIMO.

DN. FRANCISCO Meinders / J. U. L.
SERENISSIMI ELECTORIS
BRANDEBURGENSIS CONSILIARIO
AULICO SPLENDIDISSIMO.

DN. JOHANNI Meinders / SE-
RENISSIMI ELECTORIS
BRANDEBURGENSIS IN COMITA-
TU RAVENSBURGENSE FISCALI
VIGILANTISSIMO,

Fratribus Germanis,

*Dominis Cognatis, Patronis atq; Promotori-
bus aeternum colendis & venerandis*

Hanc Disputationem Juridicam dedicat
atque offert

Gasper Henrich Willmanns.



JOH. JACOBUS AVIANUS,
J. U. D. & Prof. Publ.

*Solida Juris scientia optimisq; moribus
prestabili*

Dn. Gasperi Henrico Willmanns / In-
dustrio auditori suo & optimo amico.

Cum salute officia!



Suporem quendam agnosci-
mus ferè in iis, qui, posthabitis strin-
gentissimis Juris rationibus, nil nisi
Bartoli, Baldi aliorumq; priscorum
Doctorum auctoritates jactant. Ut
ut enim diffiteri nesciamus, labori atque diligentiae
eorum, quam excolendo juri impendisse eos con-
stat, haud parùm deberi, eosq; sæpissimè, dum con-
diti Juris mali sunt interpretes, Grotio judice, con-
dendi juris optimos autores agere; hoc tamen mi-
n9 præceptiones eorū ubiq; venerari possum9, quò
apertius est, in nō paucis hallucinatos eos fuisse. A-

mica

ca ergò sit glossa, amicus Acursius, amici alii, modò
solidis juris & æqui & boni rationib9 nunquàm præ-
ferantur. Quod & tuum hâc in re iudicium est, Can-
didissime V Villmanns, qui pro innata tuâ modestiâ
veteres quidem magnificis, sed ne veritatis curam
unquam postponas. Idq; ex præsentî elegantissima
indefessam tuam industriam abunde redolente di-
sputatione sat elucescit. Superest igitur, ut præcla-
ram operam hanc tibi gratuler & juxtâ optem, im-
posterû omnia tibi ex voto succedant, & in lauda-
biliter hucusque tractatis studiis exoptatissimum
portum innox conspicias, Deo què & patriæ perpe-
tuò prodesse possis. Vale. Dab. Jenæ Mens. Febr.
Anno M. DC. LXVI.





I. N. D.

DISTINCTIONES MA- GISTRALIS. Veteribus juris

interpretibus familiares, impugnatae.

DISTINCTIO I.

INTER JUS NATURÆ PRIMÆ-
VUM ET SECUNDARIUM.



Ntequam ad distinctionem nostram
perveniamus, prius videamus, quid sit jus
naturæ, quod hoc modo describi potest,
quod recta ratio cuilibet homini à Deo
indita, honestum agendum, & turpe omit-
tendum esse dicitur, Dn. Struv. *in Syntag.
jur. civ. exer. 1. th. 52.* Grot. *de jur. B. & P. lib.
1. cap. 1. n. 10.* Francisc. Svaretz. *de legib. lib. 2. cap. 5. & seqq.* A-
ristot. *5. ethic. 10.* Ulpianus verò *in l. 1. ff. de iust. & jur. &
Justinianus in pr. Instit. de jur. N. G. & C.* definiunt, quod sit il-
lud, quod natura omnia animalia docuit, jus autem Gentium
contra (quod sc. recta ratio inter omnes homines constituit)
est, quo gentes humanæ utuntur *l. 1. §. ult. eod.* Ad illud
referunt actus, qui animalibus cum hominibus sunt com-
munes, si adderetur, ab hominibus recta ratione moderan-
di, benè sese haberet, hac enim ratione adplicaretur jus na-
turæ analogicè ad bruta. Equidem si res penitus intro-
spicitur, utique jus naturæ propriè animantibus brutis non

A

compe-



competit. Bruta enim id tantum, quod ipsorum naturæ est
conueniens, naturali inclinatione, adpetunt, non curantia,
iustum sitan iniustum, homines verò per rectam rationem
licitum ab illicito discernunt, *Aristot. lib. 3. de anima 11. th.*
57. Brutis autem & hominibus actus quidem sunt com-
munes, si illi physicè & naturaliter considerentur; si verò
moraliter, quatenus de malitia & bonitate eorum quæri-
tur, in solis hominibus inveniuntur. Cum verò sub hac
consideratione actiones tantum ad ius pertineant, evidens
est, non brutorum (quæ solo naturali instinctu reguntur)
sed solius hominis (qui iustum ab iniusto, honestum à tur-
pi discernere potest) actiones juris esse capaces. Add. Fran-
cisc. Svaretz. *de legib. lib. 1. cap. 1. n. 3. & c. 3. n. 8.* Dn. Frantzk.
dit. de iust. & jur. n. 101. Seldenus *de jur. nat. & Gent. secundum*
disciplinam ebraeorum lib. 1. cap. 5. Grotius *de jur. B. & P. lib. 1.*
c. 1. §. 11. sic inquit, quando brutis animantibus iustitia tribui-
tur, id fit improprie, ex quadam in ipsis umbra rationis. An
verò actus ipse, de quo ius naturæ constituit, sit nobis com-
munis, cum aliis animantibus, ut proles educatio, an nobis
proprius, ut Dei cultus, ad iuris naturam nihil refert: Se-
cundum enim iuris principia tanquam certum præsuppo-
nendum, (1) quod ubi est ius, necessariò ibi etiã debeat esse
ratio; adeoque concludendum, in quocunque subiecto nõ
reperitur ratio, illud neque iuris capax æstimari potest (2.)
quia bruta expertia sunt iniuriæ, damnum enim dantia, non
iniuriam facere dicuntur, sed pauperiem *l. 1. §. 3. si quadrup.*
pauperiem fec. dic. pr. instit. eod. cum tamen contraria (se-
cundum notissimum illud) qualia sunt iniuria & ius, ad i-
dem subiectum pertinere debeant (3.) inter quæ est ius, inter
illa etiam est æquum & bonum, lex & iustitia Aristoteles *5.*
Ethic. cap. 6. Cum bruta potius impetu quodam naturæ
conjugantur, nec mediocritatem nec æqualitatem, in a-
ctioni-

tionibus suis observent. Et sicuti æquitas & justitia, non potest esse sine ratione, ita etiam jus naturale. Omnino igitur concludendum, jus naturæ propriè brutis non competere. Nec nobis obstat *d. l. 1. §. 1. D. de just & jur. Princip. instit. de jur. N. G. & Civ.* Imperator enim & Ulpianus ibi laxius accipiunt vocabulum juris, dum illud brutis commune esse ajunt, ut ostendant, jus naturæ ita hominum cordibus impressum esse, ut analogiâ quâdam etiam in brutis conspiciatur, & quæ sint juris naturæ, etiam bruta faciant. Nec hæc est perfecta definitio, sed tantum aliqualis descriptio. Vid. Dn. Frantzk. *exercit. 1. quest 3.* Perspectâ itaque naturâ juris naturalis, veniamus ad distinctionem ipsam, quam post alios habet Schneidevvinus *in comment. ad instit. tit. 2. de jure N. G. & Civ. num. 4.* primævum hujus distinctionis autoribus est, quod homines cum brutis commune habent, id est, quod solo instinctu & inclinatione naturali constat, & tam hominibus quam brutis competit: ut se ipsum diligere, sese conservare, declinare ea, quæ nocitura videntur, quærere & parare ad vitam necessaria, sui simile procreare, & curam habere eorum quæ progenita sunt. Summâ ea esse videntur, quæ *ἡ φύσις κατὰ φύσιν* Grotius vocat *lib. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 1.* Secundarium verò jus naturale est, quod solis hominibus convenit, quod in sola naturali ratione consistit, quo à cæteris animalibus distamus, ut est religio erga Deum, ut parentibus & patriæ pareamus. Addantur Anton. Matthæus *disp. 7. fundam. jur. pag. 65.* Sed hæc distinctio minimè subsistere potest (1.) quia jurisconsultorum scriptis manifeste refragatur, Jcti enim religionem erga Deum, & propulsationem injuriæ ad idem jus referunt, Interpretes verò ad diversa: ut videre est *ex l. 2. & 3. D. de just. & jur.* (2.) species distingvuntur differentiis & causis, non verò tempore, quod hic fit, quoniam Autores hujus distin-

tionis, jus naturæ primævum, à natura, quæ ut patet, prior est naturâ rationali, jus autem naturæ secundarium, à ratione naturali deducunt (3) natura, & natura rationalis toto genere differunt, ergo inde non possunt duæ species differentes & contrariæ effici (4) Genus prædicatur de speciebus æqualiter, jus verò naturæ, tantum secundariò (ut vocant) propriè competit, ut ex superioribus patet. Ex his igitur sequitur, quod hæc distinctio non sit bona. Videantur Giphanius *de division. juris. th. 6.* Anton. Matthæus *disp. 7. fundament. jur. th. 8.* Dn. Schröter *de division. jur. th. 29.* Sic itaque tenendum est: jus naturale est id, quod nobiscum nascitur, & quod versatur circa ea, quæ bruta solo instinctu & impetu naturæ faciunt, homines verò etiam cum ratione. Homo enim cum hæc facit, rationem in consilium adhibet, quam veluti Ducem sequitur, cum bestia in iisdem agendis sola vi naturæ, & cæco impetu, sine ratione ducantur. Exempla hujus juris non solum sunt maris & foeminae conjunctio, liberorum procreatio & educatio, & ut declinemus ea quæ nocitura videntur; verum etiam religio ergo Deum, ut parentibus & patriæ pareamus. Addantur Salmas. *lib. de usur. cap. 9.* Senec. *lib. 2 de Ira.* Anton. Matthæus *disp. 7. fundament. jur. §. 9.*

DISTINCTIO II.
INTER ÆQUITATEM SCRIPTAM
ET NON SCRIPTAM.

Æquitas potest considerari dupliciter, absolute seu in genere, quæ est conjuncta cum omni jure, & est idem ac justitia, seu id, quod in genere est justum: vel relatè seu in specie, quæ est à jure civili diversa, notatque legis ad certum casum æquam accommodationem, hæc æqui-

tas opponitur juri stricto, vocatur græcis *ἰσχυρα*, aliàs æ-
quum & bonum. Ab Aristotele definitur humanitas, juris
legitimi correctio: hujusque officium consistit, tum in ver-
bis legis ex sententia extendendis, & ad similes casus pro-
ducendis, ubi lex plus voluit, quàm scripsit: tum in restrin-
gendis, ubi ex sententiâ legis patet, legis latorem minus vo-
luisse quam scripsisse: maximè verò in legum benignâ in-
terpretatione, earumque ad singulas facti species applica-
tione, tali tamen, quæ ab expressa legislatoris voluntate
non recedit, huc faciunt *l. 10. & seqq. de leg. l. 17. eod.* & hujus
interpretationis usus est frequens. Cum enim leges feran-
tur de actionibus humanis, quas levissima quæque circum-
stantia immutat, confieri nequit, ut lex ita scribatur, quin in
particulari sæpè deficiat. Vid. Dn. Struv *in Syntag. jur. civil.*
Exerc. 2. th. 44. Vinnius *in comment ad Instit. Tit. de jure*
nat. Gent. & Civ. n. 7. Bernh. Sutholt. *diss. 1. aph. 15.* habent
autem hanc distinctionem præter Glossographos, qui pos-
sunt videri *in l. 8. C. de judic.* Claud. Cantuinc. *in lib. de offic.*
Oldendorp. *in libello de jure & æquitate.* Jacob. Omphal.
lib. 1. polit. civil. cap. 22. Melch. Clingius *Orat. 1 tom. 1* His Au-
toribus prænominatis æquitas scripta est, quæ jure scripta
definita est, id est, quæ in singulis legibus invenitur, quoni-
am anima legis est æquitas, & illa lex est iniqua, quæ hanc
pro fundamento non habet. Æquitas non scripta est, quæ
juris scripti præceptis non continetur, id est, quæ extra le-
ges est posita, cujus officium in eo consistit, ut jus strictum
(quod propter generalitatem suam interdum subiniquum
est) leniat, corrigat, & emendet. Addatur Dn. Schröter.
disp. de division. jur. th. 5. Explicatâ jam naturâ æquitatis
tam scriptæ quam non scriptæ; videamus quapropter di-
stinctio hæc tolerari non possit. Æquitas enim non est
pars juris civilis (quippe à jure civili diversa, consistens in



arbitrio boni viri & judicis, unde etiam nonnunquam religio judicis, & boni viri arbitratus appellatur) neque scripti, neque non scripti. Pars juris non scripti nequit esse, quia jus non scriptum tacitâ populi conventionem, sensim & factis introducitur. *l. 32. D. de LL. æquitas verò neque tacita populi conventionem, vel factis introducitur, sed à judice adhibetur l. 79. D. de judic. l. 3. D. de test. l. 1. §. 15. D. ad municipalem.* Pars juris scripti etiam non est, quæ æquitas illud lenit, exasperat, interpretatur, corrigit, emendat, est legis supplementum, & id quod præter legem scriptam justum est: jam autem quod lenit, corrigit &c. non potest esse id, quod lenitur, corrigitur. Neque verò si æquitas à privato aliquo scribitur, statim ex illa scriptura, fit jus scriptum, quoniam illa tantum est accidens legis. Imo quando in scripturam est redacta, non amplius est æquitas, id est, non amplius habet vim illam correctoriam, sed est lex scripta, quam deinde casu emergente æquitas lenit, non quod sit iniqua, sed quod ex generalitate propter singularem aliquem casum, alias interdum iniquitas oriretur. Add. Aristot. *l. 5. Ethic. c. 10.* semper enim æquitas in legem conversa, novæ æquitati initium præbet atque occasionem: quippe impossibile est, ut legislator infinitos casus, quos diversæ circumstantiæ & diversa tempora præbent, quasi uno intuitu possit prævidere & lege complecti. Ex his igitur concludendum, unam tantum esse æquitatem sc. non scriptam, quæ notat legis, ad certum & specialem casum, æquam accommodationem, & licet hæc æquitas in scripturam redigatur, potest tamen deinde aliâ opus habere æquitate, ut jam supra dictum. Sicut æquitas prætoriam à Salvio Juliano, jussu Adriani descripta, postmodum Ulpiani operam desideravit, qui edictum perpetuum ex æquo & bono interpretaretur, & in hujus iterum interpretationibus jurisconsulti

fulti operam confumunt. Add. Magnificus Dn. Struv.
Syntag. jur. civ. exerc. 2 th. 44 Bernh. Sutholt. *diff. 1. aphor. 36.*
Bolognetus *de leg. jur. & equitate cap. 31.* Conan. *1. comment.*
10. n. 3. Dissentit. latè D. Ungepaur. *ex Just. 1 q. 9. in nego.*

DISTINCTIO III.

INTER SERVITUTEM CONTINUAM ET DISCONTINUAM.

Servitus in genere est jus in aliena re constitutum, quo
libertas Domino alias in re sua competēs adimitur ita,
ut ad alterius utilitatem, aliquid in suo pati teneatur
vel non facere *l. 15. §. 1. de servitut. l. 5. §. 9. de nov. oper. nunci-*
and. Ista autem utilitas alteri ex re aliena obvenit vel me-
diatè vel immediatè. Ex utilitate immediatè in aliquem
redundante, oriuntur servitutes personales, quæ sunt, quan-
do, nullo intercedente, ipsi personæ utilitas competit: ut
sunt usus, habitatio, usufructus, operæ servorum: ex utili-
tate verò mediatè alicui competente oriuntur servitu-
tes reales seu prædiales, per quas, mediante prædio, ex re ali-
ena utilitatem capimus, proximè enim prædium alienum
nostro prædio servit *l. 1. de servitut. add. Dn Struvius exerc.*
ad π. 12. th. 2. Declaratâ naturâ servitutis, veniamus ad ipsam
distinctionē, quam Doctores habent *in l. servitutes 14. D. de*
servitut. & Schneidevv. ad §. fin. inst. de servitut. Rust. & ur-
ban. præd. Servitus est continua vel discontinua: conti-
nua quæ continuam & perpetuam habet causam: hæc ite-
rum est duplex: vel continua vera vel quasi continua: illa:
quæ semper in usu est, actualiter & potentialiter, ut est ser-
vitus aquædictus, quia aqua semper fluit sui natura, item
tigni immittendi in vicini parietem, quæ & similes, nullo
deinde hominis factō opus habent. Quando enim tignum
semel

semel vicini parieti est impositum, non opus deinde quis habet, alio facto hominis, ad ejus præscriptionem, quia per se tunc stat, postquam immissum. Quasi continua est, quæ continuò potentialiter, non verò actualiter est in usu. Ut est servitus stillicidii, servitus fumi immittendi: licet enim non semper avertatur in tectum vicini, quia non semper pluit, tamen nullo hominis facto opus est, sed ista servitus semper potest exerceri, quando scilicet pluit *l. 28. D. de servit. urban. præd.* Servitus discontinua est, quæ nec potentiâ nec actu semper est in usu, sed factum si hominis, ut usui sit, desiderat: ut est servitus aquæ hauritus, itineris, actus, viæ, calcis coquendæ, & arenæ fodiendæ. Hæc autem servitus constituitur vel sine intervallo temporis, mensium & annorum, ut si quis alicui permitteret, ut possit haurire aquam ex suo fonte, quandoocunque vellet. Hæc licet sui natura sit discontinua, tamen ex conventionē & proposito, habet causam continuam, ut semper quis uti possit. Vel cum intervallo annorum vel mensium, & tunc ex proposito & vi constitutionis habet causam discontinuam, ut si inter quosdam conventum esset, ut non semper liceret ducere aquam per fundum vicini, sed solum estate, vel alternis annis aut mensibus. Add. Wesenbecius *ad π. tit. de servitut. n. s.* Anton. Mattheus *fundam. jur. p. m. 78.* Schneidevv. *ad §. fin. Inst. de servit. Rustic. & urb. præd.* Verùm hæc distinctio subsistere haud potest, ideoque à multis recentioribus rejecta: Quia omnis servitus continuam habet causam *l. 28. D. de servit. urb. præd.* Egregiè Dn. Strauch. *Diss. ad univers. jus Justin. 7. aph. 9.* Licet enim usus nonnullarum servitutum intermissionem aliquam habeat, ex hoc tamen non sequitur, quod quædam sint discontinuæ, sufficit enim quod animo hominis continuò possideantur, semperque continuam habeant causam *l. 3. §. II. D. de acquir. possess.*

possess. nam natura servitutis seu potentia, quodocunque libet utendi, magis consideratur, quam continuitas actus. Satis ergo est, posse quem uti, & actum servitutis semper posse existere. Neque quoad effectum acquisitionis, inter illas servitutes ulla est differentia, quoniam Imperator expressè voluit, ut omnes servitutes, sive essent continuæ sive discontinuæ, longo tempore acquirantur, Bachov. ad Wesenb. tit. de servitut. n. 5. Ex jam dictis patet, nullam hîc faciendam esse differentiam, inter servitutum continuam & discontinuam, quoniam juri contrariatur. In praxi verò hæc distinctio quoad effectum acquisitionis observatur, nam servitutes continuæ 10. vel 20. annis præscribuntur, discontinuæ verò immemoriali tempore, unde jus venandi tanquam servitutum discontinuam, non nisi immemorabili tempore præscribi posse. Treutl. Volum. 1. disp. 17. th. 8. Mynsing. 4. observat. 53. Geil. 2. observ. 66. n. 7. testantur.

DISTINCTIO IV. INTER DOMINIUM REI ET JURIS.

Dominium dicitur vel de jure personarum, vel de jure rerum. quoad prius, non servi tantum sunt in Dominio, sed & jus præessendi familiæ, dominium dicitur l. 195. de rei vind. Posterius sc. Dominium quoad jus rerum, tripliciter sumitur, latissimè, latè & specialiter. Dominium latissimè sumtum, denotat tum jura in re, tum ad rem l. 22. C. mandat. l. 18. §. 7. de jur. fisc. latè, sub nomine Dominii etiam aliæ species juris in re comprehenduntur, ut Dominium ususfructus l. 3. si ususfr. petat. l. 8. pr. de Reb. aut judic. Servitutum l. 15. §. 8. quod vi aut clam. Dominium hereditatis l. 19. §. 3. de castrens. pecul. l. 48. §. 1. de hered. instit. §. ult.

B

Inst.

Inst. de hered. qual. & differ. specialiter, significat certam
juris in re, à reliquis distinctam speciem, *l. 13. §. 1. C. de judic. &*
definitur, quod sit jus, seu facultas in re corporali, qua
quis de re ista, pro arbitrio, nomine proprio potest dispo-
nere *l. 21. C. mand. l. 2. si quis à parent. manumiss.* Add. Dn.
Struv. *Syntag. jur. civ. exerc. 2. th. 3.* Ut ad distinctionem ve-
niamus, quam inter alios defendunt Robert. 3. *sentent. 18.*
Goed. *ad l. bonorum 49 num. 8 de verb. signif.* Bachov. ad
Treutler. *vol. 2. select. disput. 20. th. 1. lit. L.* Dominium rei
seu corporis, definiunt, quando aliquis est Dominus ipsius
rei, liberamque de illa disponendi habet facultatem *l. 17. D.*
quib. mod. ususfr. amitt. l. 16. §. 1. D. de usu & habitat. l. 5. prin.
D. si ususfr. petat. l. 33. de rei vind. Dominium juris est, quan-
do quis non est Dominus rei, sed tantummodo in illa reali-
quod jus habet v. g. usumfructum: & hanc speciem scilicet
Dominium juris seu rerum incorporalium, conantur proba-
re (1) *ex l. 3. si. ususfr. petat.* in qua fit mentio Dominii u-
susfructus, qui est res incorporalis (2) *ex l. 15. §. 8. Quod vi*
aut clam. ubi dicitur, ratio Dominii haberi, si servitutes a-
mittantur, aut ususfructus pereat. Resp. in hisce textibus
intelligitur Dominium improprie dictum. Deinde di-
cunt, quod proprietas sit quasi relatum ususfructus, & hu-
jus Dominium inde argui possit, quod, in multis locis juris
nostri, mentio fiat Dominii proprietatis *l. 4. C. probat. l. 20. de*
damn. infect. Resp. Dicitur Dominium proprietatis,
non oppositive ad dominium ususfructus, sed ad domini-
um plenum, ut intelligatur, alium jus in re habere *arg. s. ult.*
Inst. de usufruct. Vid. Dn. Ungep. *Exercit. 5. Q. 4.* Bachov. ad
Treutl. *disp. 20. th. 1. lit. L.* Quoniam igitur hæc distinctio
est contraria juri, est rejicienda. Nam ubicunque non
competit proprie dicta vindicatio, ibi nec est verum Do-
minium: Sed in rebus incorporalibus vel juribus, proprie
non

non competit vindicatio. E. Maj. probatur *ex l. 23. D de R. V. Min. ex l. 56. eod.* Deinde quæcunque res non propriè possidetur, ejus non est Dominium proprium. Atqui servitutes propriè non possidentur *l. 32. de servit. urb. prad.* Ratio majoris patet *ex l. 1. in pr. de acquir possess.* ubi dicitur quod Dominia ex naturali possessione cœperint, quæ verò nequit fieri sine apprehensione corporis. Concluditur igitur, unum tantum esse Dominium propriè sic dictum, sc. rerum corporalium, ubi quis plenam in rem habet potestatem §. *ult. Inst. de usufr.* sive jus, de re pro arbitrato statuendi *l. in re 21. C. mandat.* Corpora enim tantum naturalia primò & principaliter sic haberi queunt, ut sint in arbitrio possidentis, & ipsorum proprietas penes aliquem sit vel non sit: ut ait Aristotel. *1. Ethic. 5.* utpote sui natura ad varias utilitates comparatorum. Contrà res incorporales sunt saltem qualitates, quas circa corpora naturalia seu res corporales leges produxerunt, in corporis tantum accidentibus consistentia, adeoque substantiam ipsam non afficientia. Dissentit latè D. Ungep. *ex Justin. 5. q. 4.*

DISTINCTIO V.

INTER PACTUM NUDUM ET VESTITUM.

Pactum sumitur dupliciter, vel generaliter vel specialiter: Priori modo, notat quamvis de negotio civili conventionem, & comprehendit quoque contractus *l. 1. §. 2. 3. l. 27. §. 2. de pact.* add. Vinn. *de pact. n. 3 4. seqq.* posteriori: sumitur pro illa conventionis specie, quæ opponitur contractui *l. 6. 7. §. 5. de pact. l. 10. 13. C. eod.* Pactum specialiter acceptum, est conventio, mutuo consensu de aliquo præstando, inita, destituta vi intrinsecâ, civiliter obligandi

gandi. l. 7. §. 4. l. 45. D. de pact. nullumque habens nomen
vel causam, sed in nudis pacti finibus subsistens l. 1. §. 2. l. 7. pr.
§. 1. 2. de pact. hinc, ut alias sæpè jus naturale à civili descri-
tur: quamvis enim æquum sit, promittentem obligari, nullâ
tamen actione in exteriori foro ad solvendum potest com-
pelli: quoniam publicè interest, ut sordidis litibus omnis
ansa præcidatur, neque fora litibus repleantur. Igitur jure
civili ne quidem exceptionem producit, sed tantum præ-
torio: Quod verò pactum in foro civili non producat a-
ctionem, duplicem habet exceptionem (1) nisi in specie &
nominatim confirmetur à jure civili: & tunc parit condi-
tionem ex lege l. 6. D. de pact. l. 35. C. de donat. vel à præto-
re: producitque actionem vel certam & nominatam, ut est
actio de pecuniâ constitutâ: vel incertam & vagam, ut est
actio in factum prætoriam. (2) nisi contractum præcedentem
in continenti subsequatur, non tamen per se actionem tunc
parit, sed quia conjungitur contractui, ut pars ejus quædam
esse censeatur l. 7. §. 5. D. de pact. Add. Magnif. Dn. Struv.
exercit. ad π. 6. th. 2. seqq. Bernh. Suth. diss. 12. th. 50. & seqq.
Hanc distinctionem inter pactum nudum & vestitum post
Gloss. habent Azo in summa tit. C. de pactis. Salicetus in l. 10.
de pact. quem refert & sequitur Angl. in pr. quib. mod. re con-
trah. obligat. & Scheidevv. in Tit. de obligat. p. m. 835. Est au-
tem pactum nudum Autoribus: Conventio duorum plu-
riumve, quæ stat in puris & meris terminis, seu finibus soli-
us conventionis, nec transit in proprium nomen contra-
ctus, neque formam, solennitatem vel causam habet, unde
robur & efficaciam ad producendam actionem assumere
possit. Lex enim solennitates invenit, & quando pactum
non habet de vestimentis à lege inventis, dicitur pactum
nudum. Pactum vestitum, est conventio duorum vel plu-
rium, quæ in solius placiti finibus non stat, sed transit in
pro-

proprium nomen contractus, formam, solennitatem vel causam assumit, unde actionem producit. Vel pactum vestitum est, quod contractu tegitur, vel nominato vel innominato contractui inest, ut pactum in continenti. Vel alio juris adminiculo roboratur, quod pactum, in jure legitimum dicitur *l. legitima 6. D. de pact.* Schneidevv. *tit. de oblig. p. m. 835.* Anton. Matth. *fund. jur. disp. 7. §. 13. seqq.* Distinctionem hanc, quoniam vitiis non caret, esse rejiciendam putamus. Licet enim Cicero & antiquiores, pacti verbo usi sint generaliter, de omni conventionione: Jcti tamen posteriores eo specialiter ferè usi sunt, ita ut differat à contractu, atque ita in libris juris nostri sumitur, ut & verbum pactiois, placiti & conventionis, rarò hæc ibi generaliter posita reperias, adeò ut verbum pacti aut conventionis, simpliciter & per se positum, specialiter ferè accipi debeat. Hoc modo, omne pactum est nudum. Quando autem dicitur nudum vel conventum, epitheton pacti est perpetuum, non diastole, quasi aliud sit vestitum vel non conventum. Uti dicimus nuda proprietas, possessio, ita etiam nudum pactum. Concluditur igitur unum tantum esse pactum, quod nudum & conventum dicitur. Add. Giph. *de division. jur. th. 67. seqq.* Anton. Matth. *fund. jur. disp. 7. th. 12.*

DISTINCTIO VI.

INTER CULPAM LATAM, LATIOREM ET LATISSIMAM.

IN contractibus duo sunt extrema, dolus & casus fortuitus: inter hæc intermedia est culpa, quæ vulgò triplex statuitur: lata, levis & levissima: nam ex adverso, tot sunt species seu gradus diligentia. Sciendum verò prius est, quid sit dolus, casus & culpa, antequam definiri possit,



quid in contractibus præstari debeat. Dolus est calliditas, seu machinatio occulta, consulto ad decipiendum, & nocendum alteri, adhibita. *l. 1. §. 2. D. de dol. mal.* Casus fortuitus, est damnum fatale, quod prudentiâ & humano captu, prævideri non potest, aut cui præviso, non potest resisti. *l. 6. C. de pign. act. l. 18. D. commod. l. 25. locat.* Culpa, est inertia, seu negligentia, cum imprudentia conjuncta, qua quis quid facit, quod fieri non debet, vel negligit, quod fieri oportet *l. 91. prin. de verb. oblig. l. 72. pro soc.* Culpa lata, est supina negligentia, seu ommissio ejus diligentia, quam natura hominum desiderat, & omnes homines suis rebus adhibere solent *l. 32. D. de pos. l. pen. §. 2. de jur. & fact. ignor. l. 223. de Verb. sign.* levis, est ommissio ejus diligentia, quam vulgò homines frugi & diligentes patresfamilias suis rebus adhibere solent *l. 11. D. de per. & com. rei vendit.* Culpa levissima, est prætermissio ejus diligentia, quam quisque diligentissimus & vigilantissimus paterfamilias, suis rebus adhibere solet *l. 18. commod. l. 1. §. 4. de oblig. & act. l. 3. de peric. & com. rei vend.* Unde non sufficit, tantam diligentiam adhibere, quantam quis suis rebus adhibet, modo quis majori curâ adhibitâ, damnum, quod illatum est, vitare potuerit. Jam videamus, quid horum in quolibet contractu sit præstandum. Dolus in omni contractu, & semper præstatur (præstare verò dolum est, damnum ex dolo ortum resarcire) ad eò, ut nec conventionem contrarium effici possit, scilicet ne dolus præstetur, talis enim conventio, est contra bonos mores, invitaturque ad delinquendum *l. 23. D. de R. I.* Casus fortuitus in nullo contractu (excepto mutuo *l. 11. C. si cert. pet.*) præstatur, nisi quis ultrò, casus fortuitos in se susceperit, *l. 23. de R. I.* Circa culpam observandum est: si in contractu, versatur solius dantis utilitas, accipiens tantum præstat latam culpam, exceptio tamen est in mandato, negotiorum gestione

gestione & tutela. Si solius accipientis, ille præstat levissimam culpam. Si utriusque, versatur utilitas, ab accipiente præstat culpa levis. Bartolus verò quinque facit culpæ species, latissimam, latiore, latam, levem & levissimam, latissima, ipsi est verus dolus. Latior verò dolus præsumtus, reliquas tres, sub culpa strictè ita dictâ complectitur. Verum hæc distinctio, quoniam juri contrariatur, non est toleranda. Nam (1) non datur culpa latissima, quæ sit verus dolus, etenim dolus & culpa longè inter se differunt. Dolus est occulta machinatio, consulto ad nocendum alteri, adhibita *l. 1. §. 7. D. de dol. mal.* Culpa verò est negligentia, quâ quis non facit, quod debet, aut negligit, quod facere oportet *l. 91. prin. de V.O.* consulto alicui damnum inferre, & ex negligentia, longè inter se distant. (2) plus & minus non faciunt diversas species, & hoc est, quod ait Jctus in *l. 75. §. 2. D. de V.O.* id quod melius est, ipsum quoque bonum est, cum bonum à meliori, gradu tantum distet: quod non procederet si specie esset distinctum. Vid. Giphani *d. l. th. 85.* Dn. Schröter. *de divis. jur. th. 13.* Anton. Matth *fund. jur. disp. 7. th. 106 seqq.* Una igitur est tantum lata culpa, quæ etiam interdum latior vocatur. *l. 23. D. de pos.* comparativa enim sæpè pro absolutis ponuntur, quod etiam veteribus Jctis usitatum est. Vid. Vult. *discurs. Scholast. c. 15. p. 124.* Bargal. *de dol. s. c. 1. n. 19.* Magnif. Dn. Struv. *exercit. ad π. 19. th. 19. seq.*

DISTINCTIO VII. INTER MUTUUM NATURALE ET CIVILE.

INter alios contractus, sunt quidam, quid dicuntur re iniri, quorum quatuor enumerantur, mutuuum, commodatū, depositum & pignus. Hi contractus dicuntur re iniri; quia

quia non sunt perfecti, (nec consensus in iis dicitur forma-
tus,) antequam res interveniat, adeoque ante traditionem
speciei vel quantitatis, obligationem non producant: v. g.
nihil ei debeo, qui mihi pecuniam voluit credere, sed non
credidit. Senec. lib. 6. de benefic. c. 11. Species Jctis dici-
tur corpus aliquod certum, quo uti possumus, salvâ ejus
manente substantiâ. Quantitas denotat omnem rem fun-
gibilem, licet quidam sint, qui quantitatem ad solam nu-
meratam pecuniam restringere velint, ut Zasius lib. 1. sing.
cap. 1 n. 22. Vocabulum rei, nonnunquam sumitur strictius,
ut solam speciem denotet tot. tit. de Rei vind. nonnunquam
latius, ut aliud quid præter rem pecuniariam significet,
princ. de oblig. quæ ex delict. Mutuum definitur, quod sit
contractus, quo rem fungibilem alicui damus utendam &
absumentam, ut ex eodem genere tantumdem restituat.
Materia in hoc contractu, est res fungibilis, quæ pondere,
numero & mensurâ constat, & quarum una alterius vicem
supplet. Forma consistit in ipsa mutui datione, sive do-
minii rerum, in accipientem translatione, unde etiam no-
men accipit, ut ex meo tuum fiat l. 2. §. 2. de reb. credit. Finis
est, ut is qui rem mutuo accepit, pro commodo suo, eâ uti,
eamque consumere possit, deinde verò ex eodem genere
tantumdem reddat l. 2. princ. de reb. cred. l. 1. §. 2. de oblig. &
act. Effectum quod attinet, transit rei mutuo datæ domi-
nium in debitorem, cum obligatione restituendi rem ejus-
dem generis: unde etiam mutuarius rei interitu non li-
beratur. §. 2. Inst. Quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 4. de oblig. &
act. Add. Sutholt. Diss. 13. th. 2. seqq. Vinn. ad Inst. Quib.
mod. re contrah. oblig. n. 2. seqq. Distingvunt verò Gloss. &
Schneidevv. ad Inst. Tit. quib. mod. re cont. obl. n. 22. Mutu-
um, in naturale & civile. Naturale subdividunt in mu-
tuum merè naturale, & mutuum naturale. Prius est, quod
absque

absque stipulatione, & litterarum obligatione, solâ re con-
trahitur, v g. quando ego actualiter numero, & mutuo tibi
do pecuniam, & in te dominium ejus transfero. Posteri-
us est, cui jus civile cooperatur, per aliquam fictionem: ut
quando pecunia, & sic res verè intervenit, numerata est:
jus tamen fingit eum numerasse, qui non numeravit, vel e-
um esse Dominum, qui Dominus non est: ut si servus meus
nummos peculiares alteri mutuet, tunc enim mihi quæri-
tur actio, licet nummi non fuerint mei *l. 2. §. in datione D. si
cert petat.* Civile iterum subdividunt in merè civile, & ci-
vile: illud est, in quo natura non cooperatur, ut si quis non
animo donandi, sed spe futuræ numerationis, dat alicui su-
um chirographum, in quo confitetur, sibi centum aureos
mutuò datos esse, qui tamen mutuò dati non sunt, hoc est
mutuum civile, cui natura non cooperatur, quia non est se-
cuta numeratio. Hoc definitur, cui natura cooperatur,
quando scilicet per stipulationem promitto, alteri mutuo
dare centum, & istam stipulationem in continenti sequitur
numeratio, hoc est mutuum civile per stipulationem: unde
oritur actio non ex mutuo, sed ex stipulatione *l. 120 §. 2. vers.
superest de verb. oblig.* Add. Schneidev. *ad Inst. Tit. Quib.
mod. re cont. oblig. n. 22.* Anton. Mart. *fund jur. disp. 7. th. 55.* Ve-
rùm hæc distinctio minùs rectè sese habet (1) mutuum merè
naturale, & naturale non faciunt diversas species, nam sive
ego, sive alter meo nomine pecuniam numeret, ad naturam
mutui nihil facit *l. 2. §. 4. D. de reb. cred.* (2) Mutuum non est,
ubi quis scribit, se pecuniam accepisse, quam tamen non
accepit, quoniam (1) mutuum non est, ubi pecunia non nu-
meratur *Princ. Inst. Quib. mod. re cont. oblig.* (2) quoniam
litterarum obligatio illis contractibus, qui re ineuntur, op-
ponitur, & specie contradistingvitur. (3) Omne mutuum
in numeratione & traditione consistit. Quando enim
promitto, me alicui certum, mutuo daturum esse, & nu-

C

me-

meratio in continenti sequatur, non est mutuum (quippe numeratione obligatio non nascitur, sed magis implenda stipulationis gratia, numeratio intelligitur fieri) sed stipulatio *l. 6. §. 1. l. 7. D. de novat.* Quoniam igitur ex hac divisione, magna oritur contractuum confusio, concludimus, unum tantum esse mutuum, idque juris gentium, civili quoque jure receptum *l. 6. de J. & J. quod est contractus, quo res fungibilis, in hoc datur, ut accipientis fiat, ita tamen, ut tantumdem ejusdem generis & qualitatis reddat l. 2. §. 1. 3. de reb. credit. §. 1. Inst. quib. mod. re cont. oblig.* Vid. Struv. exerc. ad $\pi. 16. th. 6.$ Anton. Matth. *d. l. Goed. de reb. credit. cap. 2. num. 20.*

DISTINCTIO VIII. INTER JURISDICTIONEM GENERALEM ET SPECIALEM.

Negotia judicialia, de quibus disceptatur inter partes litigantes, vel sunt privata & civilia, vel publica & criminalia. Criminalium causarum cognitionem, & in crimina publica animadversionem, summa potestas apud Romanos semper sibi soli reservavit, neque sub nomine Magistratus alii commisit, quia in iis non tam privatorum, quam Reipublicæ res agebatur. Potestas autem de privatis, & pecuniariis civium causis cognoscendi & iudicandi, aliis personis publicis est commissa, non specialiter, sed sub nomine Magistratus, quæ potestas inde jurisdictio adpellata est. Apud Romanos igitur vox jurisditionis ita fuit usurpata, ut potestatem, de civilibus privatorum causis, jus reddendi notaret, cui criminum cognitio opponitur, quod probat Cicero in Orat. pro L. Muræna: ubi dicitur potestatem juris dicendi, opponit Quæstioni h. e. mero Imperio. Undè male faciunt Interpretes, quod jurisditionem

nem in tres dividant species, merum Imperium, mixtum, & jurisdictionem simplicem. Vid *l. 1. §. 1. D. de offic eius cui mand. l. 3. de jurisd. l. 1. §. 4. D. de susp. tut. junct. l. 11. de offic. Procons.* Ex quibus perspicuè probatur, quod merum Imperium, expressim à jurisdictione separetur, cui contra coherere & inesse dicitur Imperium mixtum. Quod etiam exinde confirmatur, quia in nullo loco, ubi ex professo, de hac materiâ tractatur, merum Imperium sub jurisdictionis vocabulo comprehenditur, quod tamen fieri solet, ubi una vox, nunc generis, nunc speciei vim obtinet § *1. Inst. de legit. agnat. tutel. & §. 1. Inst. de adopt.* Neque hanc sententiam evertit (1) *l. 7. §. 2. de offic Procons.* ubi dicitur, Proconsulem plenissimam habere jurisdictionem. Resp. Verùm ex hoc non sequitur, quod merum Imperium sub jurisdictione etiam comprehendatur. Habuit quidem Proconsul merum Imperium in provinciâ, tamen falsò putant, Ulpianum appellatione plenissimæ jurisdictionis, etiam merum Imperium intellexisse. Comparatur enim tantum ad Magistratus urbanos, atque horum respectu rectè dicitur, habere plenissimam de privatis & civilibus causis, jus dicendi potestatem. Quippe Romæ jurisdictio in multos Magistratus diffusa fuit *l. 2. §. 34. de Orig. jur.* quorum omnium partibus, Proconsul in provinciâ fungebatur, nec ordinariorum tantum, sed etiam extraordinariorum, id est, qui de certis causis extra ordinem in urbe, jus dicebant, quo in numero erat præfectus vigilum & Præfectus annonæ *d. l. 2. §. 33. de D. O. l. 3. de offic præf. vigil.* Neq; (2) *l. 1. de offic. eius cui mand.* Ubi Papiniano videntur errare Magistratus, qui cum publici iudicii habeant exercitio- nem lege vel Scto delegatam, jurisdictionem suam mandant. Resp. Papiniani tempore ab Imperatoribus, merum Imperium præsidi & aliis Magistratibus jurisdictionem propriè dictam habentibus, specialiter concessum est, ut

ita in eadem personâ & jurisdictio, & publici judicii exerci-
tio concurrat. Itaque Jctus hoc voluit dicere, ut ex §. 1.
d. l. pater, errare Magistratus, qui putant, mandatâ jurisdic-
tione, Imperium quoque merum, quod præter jurisdic-
tionem habent, transire. Antequam autem addistinctionem no-
stram descendamus, definire placet merum, mixtum Impe-
rium, & simplicem jurisdictionem. Itaque merum Impe-
rium ab Ulpiano *in l. 3. D. de jurid.* tanquam à parte digni-
ore definitur, quod sit, quando quis habet potestatem gla-
dii, ad animadvertendum in facinorosos. Mixtum Im-
perium est potestas, cohærens jurisdictioni, comparata ad
eam tuendam atque explicandam *d. l. 3.* Jurisdictio sim-
plex, est, ubi quis nudam tantum habet notionem, hoc est,
potestatem sententiam dicendi, sine jure exequendi: qualis
fuisse videtur judicum à Magistratu' datorum *l. 15 Prin. D. de
re jud.* Itaque hi judices jurisdictionem propriè dictam, non
habuerunt, quia sententiam non potuerunt exsequi. Vid. *l.
5. de re judic. l. ult. de jurid.* Et hæc de jurisdictione secun-
dum jus Justinianæum. Quoad mores nostros, jurisdictio
fermè tripliciter accipitur. (1) Pro ipsa Majestate, seu sum-
mo Imperio, vel specialiter illis juribus Majestatis, quæ
sunt de legibus statuendis, ac dijudicandis causis tam secu-
laribus quam Ecclesiasticis. Et hæc jurisdictio est in Im-
peratore ac statibus conjunctim sumtis. Quæ in singulis
Imperii statibus, vocatur superioritas seu jurisdictio terri-
torialis *Landes Obrigkeit / sonderbare Hoheit / und Oberbothe-
messigkeit.* Add. Knichen. *de sublim. territ. jur. cap. 1. Ordin.
Cam. part. 1. cap. 17.* (2) denotat potestatem, jus in civilibus
& criminalibus causis reddendi, perpetuam & ad heredes
transitoriam, ipsique territorio seu castro cohærentem.
Add. *P. N. D. artic. 2. verb. Ihrer Güter wegen /* quam Status
Imperii in suos subditos, per investituram, vel aliam con-
cessionem transferunt, & ita jurisdictio dividitur in superi-
orem,

orem, & inferiorem. Dn. Carpz. *part. 1. prax. Crimin. Q. 109.*
Dn. Hahn. ad Wesenb. *de jurisd. n. 8. (3)* Significat de omnibus
causis civilibus, etiam iis quæ olim dicebantur specia-
liter concedi, sine distinctione Magistratum, judicandi po-
testatem. Add Knichen. *de sublim. territ. jur. Obrecht.*
de jurisd. lib 3. cap 7. Magnif. Dn. Struv. *Exerc. ad π. 4. th 81.*
seqq Q. (1) An merum Imperium hodiè mandari possit?
Neg. Dicitur quidem Principes & Comites causarum cri-
minalium cognitionem aliis mandare, ex hoc tamen non
efficitur, quod hodiè merum Imperium possit mandari, nō
enim rectè comparantur Magistratibus Romanis, qui tan-
tūm ea potuerunt mandare, quæ habuerunt ratione Magi-
stratus. *l. 1. pr. D. de offic. ejus cui mand.* Cum Principes non
habeant Imperium merum tanquam mandatum sibi, sed
tanquam suum & proprium: habent enim in suis ditioni-
bus jus regaliū: quo jure Magistratus creant: Quapro-
pter non magis, aut rectius dicuntur mandare, quam si Im-
perator alicui, nominatim merum Imperium tribuat. Add.
P. H. D. art. 2. Sutholt. diff. de jurisd. c. 406. Vinn. tract. de
jurisd. cap 3. n. 6. Magnif. Dn Struv. *exerc 4. th. 81.* Q. (2) An
concessa jurisdictione in genere, etiam concessa sit superi-
or. Neg. Quamquam jurisdictio aliquando comprehen-
dat jurisdictionem superiorem, manet tamen ejus distincta
natura, ita ut de speciali concessione etiam constare debe-
at. Vid. Dn. Struv. *exerc feud. 6. th. 18.* Sutholt. *d. l. th. 414.*
Ut ad distinctionem nostram redeamus, quam habent Co-
ras. ad Rubric. *D. de jurisd. n. 3. & 9.* Costal. *ad l. 1. D. de offic.*
ejus cui mand. &c Govean. *in l. 3. D. de jurisd.* Generalem vo-
cant illam, quæ sub se merum & mixtum Imperium tan-
quam species comprehendit. Specialis est, quæ sub ge-
nerali continetur e.g. mixtum Imperium. Verūm hæc di-
stinctio minimè subsistere potest (1) enim merum ideò dici-
tur, quia purum & per se solum est, alterius rei mixturam

non habens, nimirum oppositivè ad Imperium, quod mixtum & non merum appellatur, quod scilicet jurisdictioni inest & cohaeret *l. 1. § ult. l. ult. §. 1. de offic. ejus cui & c. l. 3. de jurisdic.* Sic etiam dicimus merum jus gentium, quod non est mixtum cum præceptis civilibus *l. 31 pr. de pos.* merum prætoris officium i.e. solum *l. 5. de V. O.* (2) jurisdictione mandari potest *l. 16. seqq. D. de jurisd.* merum Imperium non item *l. 1. prin. D. de offic. ejus cui mand.* mandatâ enim jurisdictione, totum juris dicendi officium, ad legatum ProConsulis transit *l. 1. §. 4. D. de susp. tutor.* ad quem tamen merum Imperium non transit *l. 11. de offic. Procons.* (3) Consules habebant jurisdictionem plenissimam, non tamen de capite civis Romani, injussu populi jus dicere, ipsis erat permissum. *l. 2. §. 23. de Orig. jur.* Add. Excellentiss. Dn. Schröter. *disp. de division. jur. th. 27.* Vinn. *d. tract. cap. 1.* & quæ in prin. hujus distinctionis dicta sunt. Concluditur igitur, unam tantum esse jurisdictionem, quæ est potestas, de civilibus & privatis jus reddendi, jure Magistratus competens.

DISTINCTIO IX.

INTER JURAMENTUM FORMITER ET INFORMITER PRÆSTITUM.

INter actiones prætorias personales, actio invenitur ex jurejurando, quam prætor dat illi, qui deferente juramentum adversario, rem, de qua quæritur, suâ esse, sibi vè deberi juravit, adversus eum, qui juramentum detulit ad præstandum actori id, quod is suum esse, sibi vè deberi juravit *§. 11. Inst. de action.* Est hæc actio personalis, quia proficiscitur ex conventionem *l. 25. & l. seq. in fin. D. de jurejur.* datur in factum, *l. 11. §. 1. eod.* qualis utique est in personam. Deinde constat, non dari eam adversus quoscunque possessores,

res, ut natura est actionum in rem, sed adversus eum duntaxat, qui jusjurandum detulit, eosvè qui in locū ejus successerunt *l. 9. §. ult. & l. seq. de jurejur.* Neque obstat, quod petitor, qui deferente possessore juravit, intendat rem suam esse, quæ intentio est actionis in rem. Resp. licet hæc actio juratoria, etiam reali actioni possit superaddi, ipsa tamen formaliter considerata, non nisi personalis est *l. 7. §. 7. l. 9. §. ult. D. de public. in rem act.* Nam in personam agere videtur eo ipso, quod agit propter jusjurandum. Est etiam hæc actio prætorica, quoniam jure civili, nulli actio datur, nisi ei, cui quid debetur, nam non satis est, in judicio dicere, sibi quid deberi, nisi is, qui dicit, probat: Non autem verè & propriè probat, qui jurat. Intelligitur hîc juramentum non fidei promissorium, nec obligationis productorium, aut actus confirmatorium, sed litis decisorium, quod pars parti defert, extra judicium, in modum conventionis, & vocatur voluntarium add. *l. 1. l. 2. l. 26. prin. & §. ult. D. de jurejur.* Actio autem hæc juratoria, non est nova actionis species, sed adjectitia solum qualitas, quæ priori seu veteri actioni superinducit novam qualitatem seu vestem, adeoq; omnibus causis, ex quibus juratur, potest accommodari. Nova autem hæc qualitas est immunitas ab onere probandi *l. 9. §. 1. l. 30. pr. D. de jurejur.* quâ tamen non fruitur, qui juravit, nisi quando res cum eo est, qui detulit juramentum. Vid. Bernh. Sutholt. *diff. 18. th. 22. seqq.* Vinn. *ad Inst. Tit. de action.* Magnif. Dn. Struv. *Exerc 17. th. 50. seqq.* Dividunt hoc juramentum Accursius. Bart. *in l. 8. C. de jurejur.* Zasius & Schneidevv. *ad Inst. Tit. de action. §. 11. Oldendorp. Class. 1. act. 9.* In id quod formiter præstatur, & quod informiter præstatur. Formiter juratur, quando cum causâ adjectâ, vel cum expressione contractus juratur v.g. si actor jurat, sibi deberi centum ex causâ mutui, tunc dicitur formiter jurari, id est ad formam contractus, seu causæ adjectæ, ex qua

qua formata est petitio. Informiter juramentum præstatur, quando nullâ causâ, seu nomine contractus expresso, juratum est, sibi aliquid deberi v. g. si petam à te centum simpliciter, & tu deferas mihi juramentum, an possim jurare, mihi centum deberi. Si ita simpliciter juro, nullâ causâ expressâ, quare mihi debeantur, dicitur juramentum informiter præstitum. Schneidevv. *d. l. Anton. Matthæus fund. jur. disp. 7. th. 64.* Verùm hæc distinctio non est bona, sed potius figmentum Dd. Nullum enim juramentum informiter præstari potest, quod exinde elucescit, quod iudex tale juramentum prorsus non debeat admittere, sed potius curare, ut, qui juramentum præstat, ad acta judiciaria sese referat, unde causa debendi constare possit. Deinde actor semper jurat conditione delatâ *l. 3. in prin. D. de jurejur.* At verò reus, si nulla subsit causa debendi, tam stolidus non erit, ut juramentum actori sit delaturus Dn. Ungepaur. *Exercit. Justin. 15. Q. 1. in Neg. & Dn. Ludvv. ad Inst. Tit. de action. §. 11. n. 6.* Nihil nobis refragatur *l. 9. §. 5. l. 25. & 28. D. de jurejur.* Ex quibus videtur deduci posse, quod quis ita jurare possit, se sibi dari oportere, adeoque hic videtur mentio fieri juramenti informiter præstiti. Resp. enim in hisce text. nõ dici, quòd quis jurare possit, non adjectâ causâ debendi, Jcti enim non volunt, quasi tam nuda jurandi formula sufficiat, sed totam actionem in personam, cum suâ causâ, tali compendio loquendi significare solent: quasi dicerent. Si quis actione personali juraverit & jurare velit, secundum scilicet legitimam formam adjectâ causâ ita jurare debet: sibi dari oportere. Ex his igitur apparet, unum tantum esse juramentum, quod dicitur forme, quando quis jurat, adversario deferente, sibi aliquid ex hac vel illâ causâ deberi, ad quod deinde præstandum, quoniam juratum est, reus tenetur. Vid. Anton. Matthæum *fund. jur. disp. 7. th. 64.* Excellentiss. Dn. Schröter. *d. disp. th. 25.*

DISTIN-

DISTINCTIO X.
INTER REMEDIUM RESCINDENS
ET RESCISSORIUM.

Connumeratur inter actiones Prætorias reales, actio rescissoria, quæ datur ei, cujus res verè usucapta est ab absente, ad rem, quasi nunquã usucapta esset, à possessore avocandam §. 5. *Inst. de action. l. 1. D. quib. ex caus. maj.* Hic non ad verba, sed ad vim effectumque verborum videndum, quoniam hoc agitur, ut effectu, res usucapta non videatur. Etenim petitor non negat, rem usucaptam esse, sed causam exprimit, ex quã ei actio jure constituta est, dicitque, adversarium absentem, rem usucepisse, cum ipse interea ejus nomine agere vellet, & usucapionem interrompere non potuerit. Itaque petere se, ut sibi res restituatur. Vocatur hæc actio rescissoria *l. 28. §. ult. D. ex quib. caus. maj.* quia rescissionem continet, ac rescisso per datam hanc actionem obstaculo, rem persequi licet §. 5. *Inst. de action. l. fin. 35. D. de O. & A.* Notandum verò est, tum demum rescissoriam actionem posse adhiberi, si defensor absentis nõ existit, nam si procurator fuit, aut amicus, qui se ultrò defensionem obtulit, non debere eum inquietari; & huic edicto, in casu proposito, non aliter locus est, quàm si aut amici absentis de defendendo eo interrogati, defensionem non suscipiant, aut nemo sit, qui interrogari possit *l. 21. §. pen. & l. seq. D. ex quib. caus. maj.* Quod tamen deinde à Justiniano mutatum est, nam licet defensor absentis nullus existat, tamen concessum est præsentem, usucapionem interrompere, ad iudicem, & diligentiam suam apud eum contestatam *l. 2. C. de annal. except.* Licet hæc actio sit rei persecutoria, anno tamen finitur *l. 35. prin. de obligat. & action.* Nam cum hæc actio rescissoria sit contra jus civile, quoniam rescindit actum jure civili validum, tanquam odiosa restringenda fuit, & ut liti-

D

um

tium materia amputetur. Add. Bernh. Sutholt. *diff. 17. §. 56.*
Vinn. *ad Instit. Tit. de action.* Occasione verborum, quod Do-
mino rescissâ usucapione, permittatur rem petere, in §. 5 *Instit.*
de action. & l. 35 in prin. D. de oblig. & act. Excogitant Joh.
Fab. Jason. Zasius, Mynsingerus & Schneidevvinus in §. 5.
inst. de action. & alii, distinctionem inter remedium rescin-
dens & rescissorium. Remedium rescindens definiunt, quod
sit officium judicis nobile, per quod detur restitutio in inte-
grum, & rescindatur obstaculum, quod impediēbat agere,
& iudex à læso imploratus, annullet omne illud, in quo læ-
sum se conqueritur actor, ponitq; rem in statum, in quo e-
rat, antequam læsio contingeret. Remedium rescissorium
est, quod competit, rescissô obstaculô per remedium rescin-
dens, cum scilicet via aperta est, & impedimentum usuca-
pionis remotum, ut is qui læsus fuit, possit jam priorem a-
ctionem intentare, & rem suam petere, perinde ac si nun-
quam fuisset assumpta. Ponam ex mente Dd. hunc casum:
Sejus emit bonâ fide librum meum à Mœvio, & per traditi-
onem accepit, deinde profectus est, & abfuit per triennium,
& ita usucapionem implevit *l. unic. C. de usucap. transf.* Po-
stea cum revertitur, volo codicem meum per rei vindicati-
onē ab eo petere, quoniam verò mihi obstat exceptio præ-
scriptionis, debeo iudicem adire, & petere, ut usucapionem
à Sejo in absentia impletam, rescindat, quâ rescissâ recupe-
ro pristinam actionem, poterôq; à Sejo vindicare librum,
quasi eum non usucepisset. Vid. Anton. Matth. *d. l. th. 23.*
seqq Schneidevv ad Inst. Tit. de action. §. 5. Verùm, quoniam
remedium, quod vocant rescindens, in jure nostro planè
ignotum est, hanc distinctionem rejiciendam esse, non du-
bitam⁹. Prætor enim cum hanc actionem dat, simul vi ipsâ,
usucapionem rescindit: quoniam permittit veteri Domi-
no, ut petat, rem sibi à possessore restitui, perinde ac si nulla
usucapio intervenisset *l. 24 de rei vind. l. 18. C. de captiv. &*
postlim.

postlim. revers. l. ult. C. quib. ex caus. maj. Consistit igitur rescissio usucapionis, in ipsâ actionis datione, diciturq; Prætor restituere, cum actionem rescissoriam petenti concedit: ac proinde uno simpliciq; judicio res tota explicatur. Confirmatur hæc sententia porrò, per §. 5. Inst. de action. Ubi formulâ actionis rescissoriæ, petitor intendit, possessorem non usucepisse, quod usucepit. Quæ formula certè nõ competit actioni pristinæ, per rescissionem restitutæ: Neque enim remotâ usucapione per judicium rescindens, huic formulæ & intentioni locus esse potest, Prætor verò antequam actionem amisam restituit, priùs cognoscit, utrum usucapio rescindenda sit, necne, tamen eam cognitionem non speciali sententiâ finit, sed actionem dando, ipsam usucapionem rescindit. l. ult. C. ex quib. caus. maj. Add. Arn. Vinn. in Comment. ad Inst. Sit. de action. §. 5. & lib. 1. Select. Quest. cap. 10. Anton. Matth. in colleg. Inst. §. 5. & fund. jur. disp. 7. th. 23. seqq. Dn. Ungepaur. exerc. 14. C. 7. Magn. Dn. Struv. exerc. 8. th. 3. Dn. Schröter. disp. de division. jur. th. 24. Ex his igitur patet, dari tantum unum remedium, quo simul rescinditur usucapio, & res petitur. Huic duplici remedio seu judicio, causam dedisse videtur, species duplicis judicii apud Romanos. Quædam enim apud Magistratû, quædam apud iudices datos tractabantur: Verum unum tantum erat judicium. Quippe apud prætorem non instituebatur judicium, sed à prætore constituebatur, datâ actione & iudice, qui jus diceret: unde nec illa, quæ apud Prætorem fiebant, in iudicio fieri dicebantur, sed in jure. Vid. Viñ. in Cõment. ad Inst. d. l. & l. 1. Quest. d. l.

DISTINCTIO XI. INTER LITIS CONTESTATIONEM ADFIRMATIVAM ET NEGATIVAM.

IN formâ seu modo ordinario procedendi in iudicio, secundum jus novum, quædam iudicium præcedunt, quædam in ipso iudicio fiunt, quædam finitum iudicium sequuntur. Præcedentia iudicium, sunt vel substantialia vel accidentalia; ad substantialia pertinet (1) citatio, (quæ est omnium instituendarum actionum, & iudicii suscipiendi principium §. ult. Inst. de pæn. rem. litigans. & ad essentiam processus seu ordinis iudiciarii pertinet Gail. 1. observ. 48. n. 2.) definitur, quod sit actus iudicialis, quo reus iudicis autoritate, petente auctore, litis suscipiendæ gratiâ, in iudicio ad certum diem comparere

parere juberetur (2) libellus qui petitionem aëtoris, seu ejus causam
& jus complectitur: Add. Hillig, ad Donell. lib. 23. cap. 4. seqq. Ad ac-
cidentalibus verò spectat (1) Contumacia (2) Dilatio, quæ est rei a-
genda in judicio ad alium diem rejeçtio l. 7. l. fin. D. de fer. & dilat.
(3) satisfactio, quæ est cautio, quæ fit datis fide jussoribus l. 1. D. qui
satisf. l. 4. §. 8. de fide com. libert. hæc in judiciis regulariter requiri-
tur l. 1. D. qui satisf. cogant. (4) Exceptiones. Vid. Tit. D. de except.
Quædam in ipso judicio fiunt: substantialia sunt (1) litis contesta-
tio, quæ consistit in aëtoris narratione ac responsione l. un. C. de lit.
contest. (2) Exceptiones peremptoriæ (3) probatio, add. Tit. de probat.
(4) Conclusio causæ s. submissio controversæ causæ ad decisionem
(5) sententia judicis add. Tit. de re jud. Solidiff. D. Strauch. ad univers.
jus Justin. privat. diff. 25. & 26. aph. 1. Accidentale est juramentum ca-
lumnia vid. tit. C. de jurejur. propt. calum. Judicium per sententiam
finitum sequitur, si una vel altera pars in illâ non acquiescat, sen-
tentia ab effectu rei judicata suspensio vel oppugnatio. Add. Mag-
nif. Dn. Struv. exer. 11. th. 67. seqq. Dividunt verò Gædeus in l. 36. D. de
V. S. Felin. in cap. 1. & seq. de lit. contest. Marant: p. 6. de lit. contest. n. 5.
& alii. Litis contestationem in affirmativam & negativam. Affirmativam di-
cunt esse, cum reus intentionem aëtoris fatetur, & respondet ad narrata, animo
litem affirmativè contestando. Negativa, cum reus intentionem aëtoris negat,
petens secundum petita non fieri sed se absolvi. Vid. Ant. Matth. fund. jur. diff.
7. th. 97. seqq. Magnif. D. Struv. exerc. 9. th. 70. Verùm quia hæc distinctio expres-
sè juri contrariatur, elidendam eam esse arbitramur. Nam. (1) cum ad litis con-
testationem requiratur propositio aëtoris, & ad eam propositionem responsio,
sive contradictio rei, l. 1. l. 1. prin. C. de jurejur. propt. calum. l. 14. C. de judic. rectè
dicitur, litis contestatione, à parte rei non aliter quàm negativè posse fieri. Cum
n. aëtoris intentio semper sit affirmativa, litis contestatio à parte rei, utpote in
cõtradictione posita, nõ nisi negativè fieri potest. D. Strauch. Diff. 25. aph. 1. in f.
(2) Per simplicem confessionem nunquam inducitur litis contestatio, ubi enim
lis non est, neque litis contestatio esse potest, lis autem non potest esse nisi in-
ter affirmantem & negantem (3) Qui fatetur debitum, nihilque contra aëto-
rem excipit, non cogitur suscipere judicium l. si reus 73. D. de procur. Sed judex ju-
bet contentem solvere, & ad id terminum statuit add. Salicet. in l. un. C. de lit.
cont. n. 10. Concluditur igitur, unam tantùm esse litis contestationem sc. ne-
gativam, quæ consistit in eo, ut aëtor proponat, quid velit sibi à reo præstari, re-
us verò ad hanc propositionem negativè respondeat, & aëtori contradicat. Add.
Magnif. Dn. Struv. exer. 9. th. 67. seqq. Excellentiff. Dn. Schröter. d. disp. th. 30.
Arnold. Vinn. lib. 1. Select. Quest. cap. 17. Rennem. de judic. p. m. 478.

Et hæc de distinct. omnibus Magistratibus impugnatis, quantum per tem-
pus & ingenii vires licuit, dixisse sufficiat.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA!


721 Bestimmung des Dispositionen p.



ULB Halle


3

005 132 576



V017







12

1666, 2
4
2

Q. D. F. F. Q. E. I.
DISPUTATIO JURIDICA,
Exhibens
DISTINCTIONES
VETERUM JURIS INTERPRETUM,
QVAS MAGISTRALES VULGO
APPELLANT, IMPROBATAS,

8

Quam,
Ex Auctoritate Nobiliss. Jctorum Ordinis,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS JACOBI AVIANI,
J. U. D. Serenissimi atque Celsissimi Princi-
pis ac Dn. Dn. ERNESTI, Ducis Saxoniae &c. &c. &c.

Consiliarii Aulici Splendidissimi, & hactenus in ce-
leberrimâ hâc Salanâ Professoris Publici,
*Domini Praeceptoris atq; Patroni summo honoris cultu
prosequendi, devenerandi,*

Publicæ eruditorum disquisitioni & censuræ
proponit

GASPER HENRICH Willmanns/


Bielefeld, A. & R.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Februar. ANNO M. DC. LXVI.

JENÆ, Typis GEORGII SENGENVVALDI.

20:9



4

